

1381 stium fines est ingressus, sex longas naves procul intuitus, aliquandiu Zenus persequi perseveravit. Quibus dimissis, haud quidem multo post ante portum Veneris in quatuor & viginti Genuensium triremes incidit, quæ, auditio Veneti in oram Inferi maris accessu, ex Dalmatia celeri cursu ad ejus conatus cohibendos venerant. Parum absuit quin duæ Venetæ, quas Carolus ad explorandas fauces præmiserat, ab hoste circumventæ sint: sed celeritate remorum hostem ludificatae, se suis protinus junxerunt. Hinc Liburnum, mox inde Venetus digressus, perpetuo cursu in Peloponnesum rediit. Ibi supplemento quinque triremium, quas Lodovicus Lauretanus duxit, accepto, in oram Inferi maris denuo Carolus ire pergit: consilio, credo, ut cum hoste, si pugnæ copia fieret, dimicaret, aut maritima Liguriæ loca, si nemo interim occurrisset, vastaret. Nec hostes tantisper, dum hæc a Venetis gesta sunt, omnino in ocio fuere. Nam ex quo Carolus Ancone profectus in Ligusticam oram movit, septem & viginti triremibus contractis, Justinopolim primo repente invasit: quam acriter oppugnatione adortus, momento temporis cepit, captamque ac direptam magna ex parte subiecta flamma consumpsit. Arx præsidio retenta est. Et quia constans fama erat, Zenum in Liguriam cursum tetendisse, veritus hostis ne maritimam oram sine alio firmo præsidio relictam Venetus per ocium popularetur, sex triremibus in Dalmatia ad res Venetas infestandas reliquit, cum una & viginti triremibus ad opem patriæ ferendam properarat. Iis ad Veneris portum obviam, ut dixi, Veneto factis, parum absuit, quin duæ Caroli triremes fuerint interceptæ.

In Taurifinis, dum hæc mari geruntur, Cunianum propinquum est proditione amissum. Duo centuriones cum barbaris qui ad Collem præsidium habebant, egerunt, ut noctu cum scalis adessent, quibus admotis, fore, ut suæ opera sine aliquo majore certamine arce potirentur. Illi vero haud cessandum in tanta occasione rati, observato tempore affuere: & jam plerique muros turri subiectos

*Justinopolis capta.*

eva-